



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentaria Vetustissima & profundissima Super Canticvm Canticorum Salomonis Qvod Hebraice Dicitvr Sirhasirim

Wolbero <de Sancto Pantaleone>

Coloniae Agrippinae, 1630

Censura Abbatis Gerodbensis super Commentaria Vvolberonis Abbatis in
Canticum Canticorum Salomonis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10027

*Censura Abbatis Gerodhensis super Commentaria
Vulberonis Abbatis in Canticum Can-
ticorum Salomonis.*

Domino Venerabili & intime amabili Vulberoni Sancti Pantaleonis Abba-
ci Fr. Gerodhensis Cœnobij dictus Abbas non modo cellarium sed & cubi-
culum sponsi introductum *inebriari consummata charitate ab vbertate domus Dei & Psal. 35.
torrente voluptatis ipsius potari in æternum.*

Scribitis enim & familiari omnibus & sapientia spiritus vrentibus humilitate, ro-
gando monetis & monendo rogatis; vt opus vestrum super *Cantica Canticorum* re-
mota penitus omni captatione beneuolentiæ vestræ diligentius cōsideratum, quic-
quid tamē mihi videatur, scilicet siue in lucē proferēdum sentiam, vel abscondendū
& deponendum intelligam, vos scripto certificem; quia nulli me melius credatis,
quod & consanguinitas stringat ad beneuolentiam, & sapientia correctionis non
deneget sententiam: Et quidem sicut non nisi his duobus prudentia & beneuolen-
tia omnis intelligens recognoscit cuncta contineri iudicia, ita cum beneuolentiam
certò adesse, prudentiam abesse non sine dolore recogito, illum secutus qui orabat
dicens, *vt sciam quid mihi desit*, non sufficiens ferre onus quod imponitis, non imme- Psal. 38.
tito subterfugio.

Verum cum hæc omnium etiā otio torpentium sit excusatio, & mihi credēs, & à
me id fieri posse sperans, vestra charitas facere moneat, non vt Iudex, sed vt voto a-
micus sponsi, dum audio vocem ipsius, suam cordi vestro in libertate spiritus do-
ctrinam subministranti, ad vocem sponsi vos vrentis pro organo, in caritate veritati
congaudenti congaudeo, & opus istud non abolendum, imò ad gloriam Dei, *gloria* Commen-
datio hu-
ius operis.
Tobia 12.
enim, reuelare sermonem, & ad vtilitatem Ecclesiæ Dei illarumque institutionem qui-
bus scribitur, manifestandum omnimodis censeo. Reuera & fide Catholicum, &
moribus instruendis, omnis Christianus benè in domo Dei viuere disponens, iudi-
cabit aptissimum.

Molestè aliquantum vos accepisse comperi, quod codicem subitò perlectum nō Quot annis
Author su-
per hoc li-
bro labora-
rit.
remisi, sed impedimento fuerunt aliqua, tum quia nulla res festinata simul & exa-
minata esse potest, quod & à vobis didici, cum in nouum penè prefferitis annum;
quare cum diligentia scriptum, cum negligentia non iudicaui legendum. Ad hoc
accessit, quod Fratres nostri contra voluntatem quidem vestram, sed me volente &
super hoc gaudente certatim hunc rapuerunt, & sedulò & diligenter legerunt, &
studio lectionis commendabilem reddiderunt, sed ita tamen ipsius lectionem mihi
etiā & nolenti aliquādiu subdlexerunt: Nunc verò & non sine diligentia perlectum,
vobis omnia in Christo legere communicandum remitto; superest, vt cui labo-
rem iudicatis participandum, non negetis fructus participium. Vale.

** 3

APPRO-